

perè gaudeo. Nam & discant qui hoc legere volent, quanto ad rem Catholicam tuendam, & ornandam ad-jumento disciplina ista esse queat, si non minus pruden-ter, quam eruditè tractata fuerit: & non pauca inesse istic intelligent, quorum ne graves quidem, & apprimè pios, Theologos poenitere debeat.

Atque ut desint cetera, quanti tandem illud æsti-mandum est, quod ex tuo armamentario in promptu nobis ea sunt, quibus recentiorum ex illa face Ju-dæismi frangi, ac revinci contumacia poterit? Quæ hominum natio etsi plumbea sit, & communem cum vera pietate sensum, ac rationem amiserit; tamen dum se majorum suorum sententiis, quorum proxima est apud illos ab sacris libris, immo par æqualisque di-gnatio, tam perspicuè refelli viderint, non poterunt, nisi dedoceri, ac respicere velint, sine pudore ali-quo, & æquiore in nos animo discedere. Non est au-tem in censu, & apparatu Christiani Doctoris ac Theologi, postremo numeranda loco vis, & facultas illa Judæicæ coarguendæ perfrictæ: ut à quo populo lu-cis, & salutis per Christum in nos primordia deriva-ta sunt, nos in illum vicissim eadem ista, per quæ salvi sumus, fidei & Christianæ veritatis beneficia con-

feramus. Mihi quidem, ut de me profitear, non par-va videtur futura hæc accessio ad Theologicorum no-strorum Dogmatum commentationem: in qua me scis occupatissimo nunc animo otioque versari. Tum ve-rò impensius hortor, ut in eo, quod feliciter institui-sti, quoad tuo, publicoque commodo poteris, gna-viter & impigre perseveres: itaque prorsus habeas; primâ istâ lucubratione tuâ non perfunctam & abso-lutam apud nos fidem & industriam tuam; sed ad uberiora posthac iidem ex Hebræorum, & ingenii tui fontibus proferenda, devinctam, & oppigneratam te-neri.

Verùm hæc adhuc speranda scilicet, & postmo-dum opera, studii quoque tuo fructus succedent. Quod autem moliris in præsens, & cujus mihi gustum ac spe-cimen representasti, si iis quæ legi, cetera, uti confido, responderint, magno mihi tum ad illam, qua sum erga te usus, hortationem incitamento sunt: tum ad communem exorandum Dominum, tibi ut ad exequen-da reliqua, corporis animique vires suppetant: & illius, quod jam edideris, fructus ex communi utilitate, & proborum ac doctorum approbatione constet. Vale, vir eruditissime, & me uti facis, amare perge.



DIONYSII
PETAVII
AURELIANENSIS,
E SOCIETATE JESU,
EPISTOLARUM
LIBER TERTIUS.

OFFICIOSÆ.

EPISTOLA I.

Urbano VIII. Pontif. Maxim.

DIFFICILE est bonis in rebus, ac prosperis modum tenere: (SANCTISSIME PATER) & quos secunda quaedam favoris aura pro-vexit; ii longius, quam initio putabant, aut quam prudentes decet, nonnumquam fe-runtur. Id adeo in me sum expertus ipse: qui nuper honorifico S. T. judicio, & Apostolicis ornatus litteris, contineri non potui; quo minus ad eum me benignita-tis portum, quem mihi semel patefactum videram, eamdem spe rursus, ac fiducia referret. Hoc verò etenim majore, quam dudum, audacia nunc institui facere, quod te non solum publicè appellare sum ausus cum ejus generis munusculo, quo mihi ad gratiam tuam aditum paraveram: sed has etiam privatas adjeci litteras, pa-rum fortasse verecundè, panèque familiariter. Verum ut hoc susciperem, cum tua pristina in me benignitate, tum quodam insuper religionis ac pietatis officio sum adductus. Cujus officii ratio etsi est à me verbis iis exposita; quibus Latinum, Græcūque poemā nomini tuo consecravi; eandem tamen solutis, ac dilucidiori-bus verbis iterari hoc loco patieris.

Colitur hac in urbe incredibili populi veneratione B. Genovefa: quam multis, maximisque miraculis illu-strem, imprimis verò curatione morborum, Parisienses sibi olim patronam adoptarunt: estque illius nomini di-catum cum æde sacra Cœnobium; cujus Abbas est ho-die Eminent. Franc. Cardin. Rupiscaldus, virtutum vir omnium laudibus excellens. Hujus ego jussu, & hortatu ante annos undeviginti Officium ut vocant, Ecclesiasticum Sanctæ illius Virginis de integro scripsi; quod Romam ille misit, ad sacrorum Rituum Congre-gationem; ut ejus decreto probatum maneret in publi-cum, & usui omnibus esse posset. Ac decretum quidem de illo jamdudum sacra Congregatio fecit: sed ab scri-nii magistro istud impetrari non potuit. Quocirca ab S. T. enixè peto, ut quod sacra illa Congregatio sanxit, ratum esse jubeat, nobisque Decreti illius copiam face-re dignetur. Est illa quidem perexigua postulatio, nec tanta majestatis auribus fortasse digna, sed pro meo erga sanctissimam patronam amore, ac studio, id in magni beneficii loco numerabo, siamque ad preces pro tua incolumitate fundendas alacrior, ut Sanctitatem tuam, (quod à Deo supplex optare soleo) his affixam Ecclesie gubernaculis, ac pro voto omnia gubernantem, quam diutissime conservet. Vale.

EPISTOLA II.

Urbano VIII. Pontif. Maxim.

VERISSIMUM illud est, BEATISSIME PATER, quod de Romana urbe Veterum quispiam dixit, longius eam Christianâ religione ac pace, quam armis fines imperii protulisse. Cujus rei fidem antea nos ex annalium repetere memoria soliti eramus: nunc oculis ipsis quotidie usūque nostro, iis in locis populisque aspiciamus, ad quos propagandi causâ Evangelii jam-dudum sumus profecti. Nam cum hos in extremis sitos Mundi partibus, & ab orbe nostro Romanique com-munione nominis, non tam vastissimo terræ ac maris in-terjectu, quam immanitate ac barbarie disjunctos, ad oblatam lucem accurrere tam cupide ardentèrque cer-nimus, atque ignotum cum Christo, sedis Apostolicæ nomen & principatum admittere: neque de eo, quod dixi, dubitare possumus; & illi ipsi tanti auctori boni Christo, ac tibi hujus vicario gratulandi finem nullum facimus. Hunc nos gratulationis officioque sensum, quamdiu intra modum constitit, ac coërceri se passus est, tacitum inter nos habuimus; neque ad tantæ ma-jestatis notitiam per nos ipsi propagare ausi fuimus. Sed ubi quotidianis auctus successibus majorem efferbuit in modum; vicit pudorem omnem ac verecundiam, meque simul obscuritatis oblitum meæ coëgri privatim de iis ad Sanctitatem tuam litteras dare. Itaque dabis hanc audaciæ meæ veniam, si pro officii mei munere, ac rei magnitudine, id mihi sumo, ut de rebus nostris novæque Ecclesie quæ hic sub auspiciis Sanctitatis tuæ coaluit, ea perscribam, quæ tibi non ingrata nec inju-cunda confido fore.

Regionem incolimus, quæ in Americæ parte Septen-trionali sita, nova vulgò Francia dicitur. Ea secundum sancti Laurentii flumen extenditur: quod longè latèque exporrectum, magni instar maris habet. Hujus ripas Francorum aliquot familiæ obtinent; quibus sacra mi-nistrant societatis nostræ homines: summæque inter se pace ac tranquillitate vivunt omnes, sub ejus ductu ac tutela, qui Regis nomine hanc provinciam administrat. Is eques est Melitenis, D. Montemagnius, rarâ vir pietate ac prudentiâ: cujus exemplo & auctoritate plu-rimum inter Gallos virtutis studia promoventur.

Jam barbarorum & indigenarum vagi alii sunt, nullâ certâ sede ac domicilio; alii per pagos habitant: om-nes partim venatu, ac piscatione; partim ladico fru-mento, paucisque terræ fructibus, miseram atque ino-pem vitam ægrè tolerant. Bella inter eos panè continua sunt;

quasitum: nec importunitate, quod datur, expressum appareat; sed ultrò delatum, ac certo iudicio, & voluntate concessum. In perisque verò nominatim causis continentur, quibus induci Romani Pontifices hæc illis danda esse iudicantur. Quamobrem quæ potest Apostolica auctoritati sedis injici plaga major, quam si tot ejus consulti ac decretis impunè derogare licet? Nostra verò quam erit illa vehemens culpa, si hæc ipsa supremæ jura majestatis, commissa fidei nostræ, & quasi in finem conjecta, dilabi, ac deperire pacimur? Tum enim justa de privilegiis istis inimicorum querela videri possit, si vel commississe nos constet, cur indigni iis habeamur: vel præstitutum ab S. T. finem, ac modum excessisse. Quin igitur tale, si possunt, in nos quippiam proferant; eoque crimine apud S. T. reos faciant? Tantum abest ut hoc iniquo animo latrari simus; ut etiam gratia loco simus habituri, & id ipsum emendaturi, quidquid erit, in quo jure illos offensos esse S. T. decreverit. Quamdiu quidem nullum ab iis facinus nostrum, ac nulla publica, privatæque fraus, sed unum privilegii, & immunitatis nomen objicitur: fortiter illorum petitioni resistimus; nec de ea statione, in qua nos collocasti, injusto tuo decedimus. Hanc nos iudicii totius, actionisque formulam, quæ una iustissima videtur, eo magis hoc tempore præscribimus, quod quidam ex Episcopis nostratibus dicitur ad S. T. litteras dedisse, quibus id ait laborare se, ut quod jus, atque æquum est obtineat.

Cui tam iusta, & honesta postulanti non modò nihil contradicimus, sed etiam ultrò favemus; & id ipsum, ne jure vinci nos putet, ab S. T. enixe petimus, uti de hac omni causa prius accuratissime cognoscat; & quid pro se quisque juris habeat, intelligat: tum suis ponderibus æstimatæ re, quasi vix summi, ac verendi iudicis oculis, cuius in terris vices gerit, sententiam ferat.

Hoc si impetramus modò, quod in præsens unum agimus, taciti cetera feremus; vel alteri potius temporari reservabimus, quæ hic ab nonnullis indigna quotidie patitur: nec de assidue unius præsertim hominis injuriis expostulabimus, qui veteri in Religiosos omnes instinctus odio, adversus universum illorum ordinem sili sui impetum, aciemque convertit. Neque hæcenus, ut eorum, si qua sunt, cuiusmodi professò nonnulla sunt, vitia reprehenderet: quod quidam etiam Catholicis, ut minus consideratè cum id neque privatim sit, neque necessariò; ita tolerabiliter faciunt: sed ut illorum vitæ statum, ac professionem in crimen adduceret: Religiosos, inquam, generatim omnes, propter paucorum odium, nullo suo præcipuo dedecore, sed solo vitæ instituto notatos probis, & conviciis, aculeatis dictis & facetiis ad populorum contemptum & ludibrium vocavit. quo suo factò hæreticos, qui hic sunt, adeo delectat ut in horum conventibus, hominis istius adversus Catholicos & Religiosos scripta incredibili clamore ac plausu recitentur. Quæ jam magna ex parte scire te arbitramur, ac Nunciatorum tuorum litteris certiore esse redditum: ac tum libros etiam ad te missos esse; tum gravissimorum integerrimorumque partim præsulum, partim doctorum de illis iudicia, ex A. D. ix. Feb. an. 1634. Ex quibus omnibus intelliges non magis ab homine illo contra nos, quam contra Catholicas partes implacabile odium esse susceptum. Quod nisi Christianissimi Regis divina mens ac prudentia vigilasset; etsi non plura & atrociora, quam nihilominus facit; minus tamen dissimulante occultè scriberet: tum armati impunitate & auctoritate publica, hoc est diplomate Regio libri, palam vi ad nocendum majore volitarent; quod nunc quidem utcumque fieri desit, postquam & rei per se indignitate motus, & nostris adductis precibus benignissimus princeps effrenatos hominis impetus, paullulum consilii sui auctoritate repræsit. Quod eatenus egerunt, ut hoc unum statuerent, nullos nisi à Theologis recognitos publicèque probatos libros excudi licere: ac qui fecus Typographus fecisset ei multam irrogarent. De hoc verò quem significamus Episcopo, ac de lite illa quæ ceteris nobiscum est orta, rem integram S. T. iudicio reservarent. Quo majore animo sumus ac fiducia, B. P. eoque nos ipso fortunatos ducimus, quod eum nobis quem optabamus liti arbitrum divina pariter & humana suffragia dederunt. Ergo illud postremum rogamus, quod

EPISTOLA III

Ad S. D. N. Urbanum VIII.

Nominè Religiosorum ordinum totius Francia.

AMDDUM Beatitudini tuæ cognitum esse confidimus, Beatiss. Pater, quantæ identidem hic turbæ fieri soleant, super religiosis ordinibus, eorumque privilegiis, quæ ad juvandam operâ suâ Christianam rem sedis vestræ beneficio sunt adepti. Quos contentionum tumultus cum per hos dies instaurari Christianissimus Rex animadverteret, dignum pietate sua, & providentia putavit, maturè opis aliquid afferre; ne ad publicæ quietis perniciem discordia illa pertineret. Itaque de consilii sententia nuperimè decrevit, nihil Religiosis negotiis ob hanc rem facessere quemquam oportere: neque prohibendos esse, quo minus jure uti suo, privilegiisque omnibus possint: quod si qua de iis, aut eorum usu lis & controversia esset orta, eam S. T. cognitioni, & iudicio permitti voluit. Præclare ille quidem, & ut Rege Christianissimo, ac primario Ecclesiæ filio dignum erat, ut de Ecclesiasticis causis communem ad parentem, atque Ecclesiæ principem referret; neque sacris disceptandis controversiis civilem auctoritatem interponeret. Quamobrem & illius nos regii decreti, & temporum nostrorum necessitas hortata est, ut supplices ad S. T. pedes accideremus; indeque necessaria præsidia peteremus pacis, & otii; quibus constitutis, tum Ecclesiæ Gallicanæ; tum S. T. & Episcopis omnibus commodare alacritus nostrâ operâ possumus. Quod si privata tantummodò nostra res ageretur, B. P. minus laboraremus. Nunc id præcipue nos movet, quod hæc omnis causa verbo nostra est; re autem vera, sedis Apostolicæ, Ecclesiæque totius. Caput enim hoc iurgiorum omnium est, atque id unum crimen, & hæc accusationis summa prætenditur; quod Religiosos, Pontifices Romani certis privilegiis honestatos, & ab Episcoporum jure exceptos esse voluerint: quodque functionum aliquot extra ordinem iis potestatem fecerint. Atqui si quod inest in eo crimen, beneficii aliquid ab Romana sede capere; totum est eorum, qui dederint; eorum, qui acceperint, nullum. Sed illa, cuiusque modi sunt, renunciare, itaque sponte cedere, neque sine flagitio possumus; neque cum damno, ac periculo volumus; primum animarum: quibus nisi hic utilis visus esset Religiosorum labor, numquam ad id eos Romani Antistites adhibuissent; nec eorum potestatem tot edictis, privilegiisque munissent: deinde venit ipsius Apostolicæ, cuius auctoritas in contemptum venit reprehensione illius actorum; si aut ista iudicatum erit non potuisse, quibus vellet; aut non debuisse conferre. Nam & ea formula diplomatum ferè omnium est, quibus illa Religiosis beneficia tribuuntur, uti *motu proprio* edita dicantur. Quæ vox hæc habet vim, ut nec eblandum precibus, nec ambitiosè

quod exoratum tri facile credimus, ne nos S. T. pendere diutius in hac causa velit. Sed quod ex æquo bonoque esse videbitur, nihilo tardius, ac tantæ rei periculum hortatur pro potestate constituat: ut ex adversariorum importunitate, velut longa jactatione recreati, in sinu Apostolicæ Sedis acquiescamus, tamquam portu quodam tranquillitatis ac pacis; ubi metu omni curaque perfuncti, ardentiores nos ad ea quæ nunquam intermissimus, Christianæ rei augendæ studia, & obsequia in Romanam Ecclesiam, & pro incolumitate S. T. ac salute vota, referamus. Vale.

EPISTOLA IV.

Francisco Cardinali Barberino.

ULIANUM nostrum tam abs te vehementer expecti (EMIN. CARD.) quàm mihi ex tuis litteris ostendit Emin. Card. Bagnius, duplè gavisus sum. Nam & tanto Principi curæ esse qualemcumque lucubrationem nostram, per se jucundissimum fuit: & habet ea res non obscuram significationem amoris in litteras, carumque cultores tui; quales esse nos, si non facultas earum, & eruditio; at ætas ipsa probat, quam in illarum studio panè universam transmisisimus. Quamobrem ut de priore illo, mea quod interest privatim gratulari debeo, quod nisi idem, quem cum hic esses mihi es restatus, tuis in me maneret animus, mea tam amanter non requires: ita de altero nec habenda tibi gratiæ; neque gaudendi, ac benè in posterum sperandi præcipua mea sunt partes, sed doctorum omnium, doctrinarumque potius ipsarum, quæ à plebisque illius ordinis desinitute, idoneum jam te sibi patrum destinant, cujus præsidio ac tutela solitudinem suam orbitatè defendant. Quod tu quidem (EMIN. CARD.) à patruo tuo S. D. N. velut propinquitatis jure proprium habes ac domesticum decus: qui quantus sit, non solum summis illis, & præstantissimis in studiis, sed in politis etiam & communibus iis, poetica illa scripta declarant omni leporis & elegantie flore depicta, quibus principatum antè Musarum, quàm Christiani orbis, communi suffragio est adeptus.

Hujus dum tu exempla, & vestigia persequeris, facis quod te facere cupimus omnes, & ut perpetuò velis, hortamur: ut autem quam diutissime, felicissimèque possis, maximis à Deo precibus optamus. Hæc mihi benignitas & humanitas tua (EMIN. CARD.) fiduciam dedit, ut non solum, quem flagitaras, Julianum ad te nostrum mittere; sed & scribere insuper auderem, peterèque ut me meaque in Emin. tuæ clientelam recipias. Adjeci porrò Juliano comitem lucubratiunculam alteram; epicinicum carmen, quod anno ineunte superiore, in Rupellam, ac Christ. Regis triumphum Græcè, Latinèque cecini. quod ut per sese recens adhuc offerre tibi sum veritus: sic alterius modo desiderati abs te muneri haud ingratum hanc accessionem fore decrevi. Tu hæc audaciam nostram, conceptamque de te spem, ratam solita tua humanitate facias velim; atque hoc munusculo velut oppigneratam in perpetuum observantiam meam ac devotionem tibi esse confidas. Vale.

EPISTOLA V.

Francisco Cardinali Barberino.

UT qui Solem intueri cupiunt (CARDIN. EMIN.) cum in eum oculos intendere propter imbecillitatem nequeant, speciem illius in aqua, vel in nube contemplari solent: sic cum Romanus adeundus mihi Pontifex esset, neque tantæ splendorem majestatis sustinerem, ad te vivam, & expressam non tam generis propinquitatem, quam indole, ingenio, ac virtute, illius imaginem reperi. In quo si vel parum pudenter egisse, vel importunum esse me quispiam putet (Possunt enim id alii de meo factò judicare, quod pro tua singulari bonitate minime abs te vereor) non illud ipsum temeritati ulxi mea, sed tua benignitatis, ac facilitati tribere debuit. Quam cum incredibilem in te jam dudum homines prædicant, præsertim studiis doctrinæ

Pars III.

dediti: ego verò majorem opinionè fletim expertus; primum hæc in urbe coram, cum te salutandi, ac colloquendi gratiâ convenissem: tum absens postea: cum tibi litteris meis, ac litterariis munusculis semel, & iterum obstrepere sum ausus: putavi ne nunc quidem improbè facturum me esse; si ad eandem mihi tam respectam humanitatem confugerem, atque hoc impetrare studerem, ut qui in Sanctissimi D. N. patris tui nomine divulgatus liber ad Urbem mittitur, hunc offerre per te ipse velles, ac favore tuo, & patrocinio commendatorem reddere: Quod eò majore de tua voluntate spe facio; quod illius, cui inscriptus est, iussu & hortatu in lucem prodit. Qui cum à me, ut Latinos antea; ita Græcos versus exegisset; & ego quos in promptu habebam, eo genere confectos Psalmos aliquot misissem, non gratum habuit modò, quod dederam; sed ad ejus id quod reliquum erat absolvendum, auctor & incitator fuit. Inter hæc incidit agritudo illa; quæ non minus Christianos omnes hoc dignos nomine, quàm vos illius propinquos, mæstos, ac sollicitos habuit: qui id intelligerent, in uno capite, præsertim temporibus istis, periclitari communem Ecclesiæ tranquillitatem, ac salutem. Ea me res suspensum aliquamdiu tenuit, & cunctari coegit; ne intempertivam tanto in luctu Musicam ostenderem. Sed postquam discussio hoc periculo, latior nos de illius salute tumor afflavit; tum ita sum animo concitatus, uti mora mihi omnis; quo minus inceptum perficerem, gravis ac molesta videretur.

Affuit tandem optatis meis divina bonitas, ut quanta poteram industria elaboratum hoc opus ad exitum perducerem. Quod etsi per sese levius est, quàm ut sub tantæ majestatis nomine apparere, & in ejus confectum venire debeat, tamen non dubito, quin illud libenter sit accepturus: vel quia delectatur iis studiis, ex quibus profectum illud est; vel quia impulsore hortatorèque ipso prodit: vel quia gratiâ, commendatiōneque tua multum ei pretii ac dignationis adjungit. Peto igitur: ut ex duobus quæ misi, illius exemplaribus, alterum SS. D. N. à me offeras, tibi alterum habeas; & hanc meam sive audaciam, sive fiduciam, bonam ut partem accipias. Ego verò Deum vicissim precor, ut quam patruo tuo Summo Pontifici sospitatem; tibi communem cum bonis omnibus lætitiâ indulst: eam quàm maximè constantem, ac diuturnam esse velit. Vale.

EPISTOLA VI.

Francisco Cardinali Barberino.

MAXIMUM è nostris litteris fructum reportasse videor iudicii vestri (CARD. EMIN.) quod de me ambo fecistis, tu, & patruus tuus S. D. N. qui Græcæ, Latinæque mea carmina tam impensè probastis, mihi ut in ipso Parnassi culmine præstantes inter poetas locum daretis. Ego verò grave mihi ex hoc, onus impositum esse sentio, tuenda vestræ de me existimationis; ne quàm proclive fuit vestra in me concitare studia: tam non sit ea deinceps retinere, iisque respondere facile. Quamobrem omnis à me adhibenda diligentia est, ac novo ingenii, industriaque proventu in dies elaborandum, ut vos nunquam amoris in me tanti, ac voluntatis poeniteat. Quod à me quidem pro virili parte perpetuò deinceps curabitur. Et nunc illius utrumque remunerandæ in me bonitatis; grati certè animi significandi gratiâ, specimen offero recens; Græcum itidem, Latinumque carmen; quod in S. Virginis Genovefæ, patronæ veteris commendationem edidi. Cuius quantus hæc in urbe honos habeatur; cum hic legatione fungerere, coram videre potuisti. Privatim verò quantum illi debeam, tum mihi ipse sum conscius; tum id publicè sum testatus ante annos circiter viginti; partim eodem, ac modò, versuum genere; partim novo edito illius Officio; quod Romæ est in scrinio Congregationis sacrorum Rituum. Nunc ut meum hoc munusculum, quod ad prospera anni ineuntis auspicia sub S. D. N. nomine apparere volui, ei gratum, acceptumque sit, tua mihi benevolentia, & humanitate est opus; quam superiore anno simili in re sum expertus. Peto igitur ut hoc illi carmen à me offerre, commendationèque tua

V v

prosequi

profecui ne graveris. Simul illud precor, quod in Ode nuncupatoria posui, Officium ut Ecclesiasticum sanctae illius Virginis, quod apud sacrorum Rituum Congregationem exstare dixi, ratum, ac probatum illius decreto ad nos redire jubeas. Vale.

EPISTOLA VII.

Francisco Cardinali Barberino.

NE quod damnosi patres familias solent, ut in acquirenda re, quam in conservanda diligentiores sint: idem in S. D. N. patri tui tuaque fovenda gratia & benevolentia committam, operam à me omnem adhibendam esse duxi (CARD. EMIN.) Itaque quibus illa modis est initio parata; iisdem ut eam retineam amplificemque, si possim, identidem ago, novis ingenii industriaeque offerendis fectibus. Cujusmodi paucos ante menses ad te mittendum curavi, libellum quemdam dissertationum Ecclesiasticarum, in quo tum Episcoporum omnium nomen ac dignitatem: tum Episcoporum Principis S. D. N. decus & auctoritatem propugnavi, contra impudentis cujusdam non minus quam indocti haeretici obtrusionem & calumniam. Quem quia pergratum tibi accepi fuisse: non dubitavi quin vestigio alterum adjungerem, molliori elaboratum genere ac stilo, & ad oblectandam S. D. N. senectutem, magis accommodato: qui quibus iste liber efflorescit ex artibus, eas & amavit semper, & in iis principem inter etatis hujus eruditus locum est adeptus. Ea sunt Graecarum litterarum facultas, & poetica. Nam Salomonis Ecclesiastem elegiacis versibus Graecis redditum ejus inscripti nomini; & ad te, confusus humanitate tua mihi, ut per te Concionatori nostro aditus ad Sanctitatem illius facilius, & receptus uti peregrino certior pateret. Facies igitur pro solita tua benignitate, & in me praesertim voluntate, uti S. D. N. munusculum illud, quod aliqui non ingratum confidebam fore, sit etiam tantae commendationis accessione jucundum. Vale.

EPISTOLA VIII.

Francisco Cardinali Barberino.

QUOD postremis litteris meis eram pollicitus eo nunc defungor (CARD. EMIN.) ac Theologicorum dogmatum ad te mitto priores Tomos tres: quod opus favoris, ac gratia tua fiducia, hortatuque fretus in lucem edidi. cum me tu quidem tempora verentem iniqua melioribus studiis, ac propterea cunctantem auctoritate confirmasti tua, bonoque esse animo iussisti. Quam singularem, mihi que perspectam fidem tuam appellare jam posse video, & ad tuam clientelam, ac patrocinium me meaque studia conferre. Quod eo diligentius, ac spe majore facio, quod cum haereses prope modum omnes, quae hoc tempore infestam habent Ecclesiam, illo in opere sim infectatus, offendit non paucos, acres homines, & ad scribendum impigros; qui jam aliquid meditari contra me dicuntur. * * * * *

EPISTOLA IX.

Francisco Cardinali Barberino.

LETUM & incolumem istic agere te, ubicumque Les, incredibiliter gaudeo, & ut deinceps in eo pergas, quibus possum à Deo precibus contendo. Quod autem ne in ista quidem peregrinatione, litterarum curam, ac litterarum patrocinium intermittis: facis quae & te digna sunt, & ei animo ac proposito consentanea, quod jampridem susceperis, tuendi amplificandaeque res honestas & praclaras, ac praesertim doctrinarum studia, quibus impensè idcirco faves, ac delectaris, quod apprimè iis excultus, & eruditus, eas quasi peculiarias ac domesticas habes. Nam quod me quoque rationem ducere te hoc ipso nomine profitearis, vellem idem in re effet quod in iudicio, & existimacionem de me est tua. Sed nec molestè fero falli te hoc in genere, ut quoquo modo tanti mihi viri amorem ac benevolentiam adjungam; & quod facultati deest, obsequendi studio, & voluntate alacrius suppleam. Quod ut facere in re hac incipiam, de qua ad me scripsisti, enitar quantum in me erit, si quid tamen in eo praestare possim. De quo quid in praesens habeam, exponam tibi breviter.

Mihi cum Hugone Grotio (vellem τῷ μακαρίῳ dicere possem) usus aliquis intercessit communionem partus istarum artium; & quod, ut bene nosti, spes interim illius juveni nonnulla in me sita videbatur. Cum illo itaque, uti saepe ipsum inviscbam, & vicissim ille me, frequentes de litteris sermones habui. Ac memini me de illo frequenter audisse, cum diceret; consilium sibi esse Succicos Annales conscribere: idque se jamdiu commentari. Utrum verò Opus illud absolverit, an in Adversariis tantum apparatus illius existeret, certi nihil habeo. Eliciam tamen & expiscabor si quid poterit; postquam ejus uxor, quae nunc Lutetiae habitat, & rusticandi causa unum jam mensem abest, ad urbem reverterit. De lucubrationibus reliquis, quarum mentionem facit Holsteinius, nunc primum audire ceppi, nec ille quidquam mihi significavit. Quare & ista post finem redditum curanda nobis erunt: dedique jam negotium tui observantissimo Cramosio, ut exploret quoniam hic tempore futura sit, & pro virili parte si quid potest odoretur. Hoc velim persuasum habeas, nihil mihi gratius ac jucundius accidere posse, quam aliqua re studio tuo & voluntati morem gerere.

Qua ex precatione scribendae hujus epistolae initium feci, in eadem desinam, ac Deum enixè rogabo, ut te perpetuò salvum ac beatum velit. Vale.

EPISTOLA X.

Francisco Cardinali Barberino.

TSI te peregrinantem in Gallia, & hac urbe, nuper libentissimè videbam: quod humanitate tua, ac suavissima consuetudine propius uti licebat; multò tamen laetor magis ibi ubi maximè vis, Romae te esse, ac tuis rationibus posteriorem animi fructum habeo, quem ex usu colloquioque tuo capere solebam. Sic enim interpretor te ad illam velut arcem tum Ecclesiae, tum doctrinae revocatum, majori utriusque quam alibi uspiam praesidio, & emolumento fore; quod & major domi, quam peregrè, copia praesto tibi ad commodandum est asistura: & ex arduo, eminentique loco circumjectis in omnes partes oculis, quod usui sit poteris melius prospicere. Non enim dubito, quin eodem semper in honestarum rerum studia, & eorum cultores, animo sis, quo fuisti haecenus, & quo fore te perpetuò in omni, qui tibi mecum fuit, sermone praetere tulisti. Quò magis, restitutum te esse patriae, ac libertatis tuae suppellectili gratulor iterum, ac gaudeo: eamque meam tum latitiam, tum futuri spem non mediocriter confirmavit, curae illius, & humanitatis specimen, tu quod in me brevi postquam istuc reversus es spatio temporis edidisti. Accepi enim primum Juliani epistolam ἀνέκδοτον, quam ad me iussu tuo misit Lucas Holsteinius, tum Synesi varias lectiones: & utroque nomine ingentes tibi gratias ago. Ego verò, uti vicissim tibi cepti mei ratio consistit, quod ipsum curae ut sit tibi summa tua benignitas & proluxa in me voluntas facit: libros hoc anno duos in lucem emisi; alterum Apologeticum adversus Fromondum Lovaniensem Theologum; alterum de lege & gratia: quos te accepisse jam arbitror. Certè uti quamprimum ad te mitterentur, Sebastiano Cramosio diligenter mandaveram.

Nunc quartus Dogmatum Theologicorum Tomus est sub praelo, ejusque folia jam excusa sunt octodecim: ac ne justo voluminis moles grandior sit, fortassis in partes duas dividendum erit. De Epiphano quoque recognoscendi ab nostris Bibliopolis injecta mihi cogitatio est, quod nulla penes illos exempla reliqua sint. Vellem cum Vaticanis MSS. conferendi mihi facultas esset.

De Maximi Operibus quòd plurimum studes, ut idoneus existat aliquis qui Latinam illorum interpretationem,

LIBER TERTIUS.

tionem, ac deinde quod consequens est, editionem suscipiat: merito quidem id optas. Magni enim interest Theologiae nostrae, ut eruditissimus ille Scriptor Latine Graecque loquens edatur in lucem.

Deum rogo ut te in omnes amplificandae rei Catholicae ac litterariae rationes incumbentem perpetua sua gratia & providentia dignetur. Vale.

EPISTOLA XI.

Andrea Schotto, Societatis Jesu Antuerpium.

DARIS ad te superiore anno litteris, primum hunc oblatum mihi ad familiaritatem tuam aditum esse gratulabar: cum eodem tempore Julianum nostrum mitterem; cujus nondum editas aliquot Orationes publicam in lucem extuleram. Sed sive casu aliquo interceptae illae litterae sunt, sive dignè non fuerunt, ad quas rescriberes, doleo meam in hunc usque diem expectationem vacuum, atque inanem fuisse. Equidem malo id eorum, in quos incidit, vel negligentia, vel malevolentia, culpa denique factum arbitrari, quam secus aliquid de tua in me voluntate statuere: quem ad hominum commendationem atque famam non minus humanitatis, ac facilitatis audio, quam doctrinae, atque scientiae attulisse. Utrumque verò contigerit, novo hoc periculo tentandum mihi esse decrevi: cum se novi itidem muneris, ac libri occasio dedisset. Quem quidem ex hoc Henrico Gymnasio publicatum atque emissum: utroque nomine, quòd & meum est, & ab eo loco profectum, tibi fore jucundissimum duxi. Sed ne gratis hoc qualecumque à nobis acceperis: primum scito non unis tibi litteris compensandum esse: tum si qua in re conatus his in litteris nostros adjuvare possis, vel molestum me exactorem, atque assiduum futurum. Atque ut jam nunc gustum aliquem nostrae importunitatis praebam: velim mihi, si quid ex Ammiani Marcellini, vel Epiphani de haeresibus, vel Silvarum Statii M. S. in excerptis habeas, ad me vicissim transmittas. Nam de Epiphano jam dudum, Gresseri nostri hortatu, cogitabam. Quod ego sine veterum librorum ope aggredi nullo modo possum. In aliis, quos plerumque lego, peraque esse multa video, quae emendatione, & calligatione opus habeant; quam praestare nemo sanus sine eorumdem Archetyporum auctoritate debeat. Quamobrem si quid in ea re potes, sublevari à te, ac juvari magnopere cupio. Quod certè potes, tuis ut me precibus, ac sacris commendatum habeas, hoc verò impensè à te, tuisque flagito. Fixæ Andeg. Id. Dec. MDCXIV.

EPISTOLA XII.

Andrea Schotto, Societatis Jesu, Antuerpium.

CUM in eo essem, uti prioribus tuis litteris responderem, quas v. Kal. Jan. ad me dederas, novas ecce me absente Belga quidam mercator attulit; qui ad annum urbis hujus mercatum, opinor, venit. Ad utraque igitur compendio sic habeto. N. noster qua ceptit indole ad pietatem, ac religionem quotidianos progressus facit. Ei, ut commodè sit hac in urbe, quoad poterimus, ego & Sirmondus operam dabimus. Morelius Typographus domum illi suam, ac mensam obtulit: sed ea lege, uti filio sui studii praestit. Verum honestiore illum aliquantò esse loco studemus, quod quidem ipsius merito facimus. Isidorum tuum Sirmondus accepit; de cujus editione cum eodem Morello diligenter egi, neque is abhorrebat visus est. Holsteinius quoque noster sum ad id operam Sirmondo detulit. Venit enim ad nos ante dies circiter octo, cum eoque Hugo Grotius, quem ego jam dudum & mea sponte, & hortatu tuo convenire, & alloqui cupiebam. Factum utriusque voto ac desiderio satis illo die. Nam per diu valdeque familiariter unà fuimus. Homo est, quantum judicare possum, probus ac candidus; nec ab Holsteini exemplo, quod & speras, alienus. Nos nihil praetermittemus, quod quidem praestari à nobis possit, ut hominem Christo Domino, ac saluti conciliemus.

Scripti ad me nuper ex Hispania Petrus Castellana-

Pars III.

EPISTOLA XIII.

Andrea Schotto Societatis Jesu, Antuerpium.

TAM multa mihi eodem tempore curanda sunt, ut paucè tuarum me litterarum oblivio ceperit. Sed earum tandem refrexit memoriam Antuerpiensis ille juvenis, qui sibi datum negotium à Scholarum vestra- tium Praefecto dixit, libellos ut aliquot Graecos emeret, quos mihi recognoscendos, ac probandos attulit. Qui cum mihi salutem abs te nunciasset unà, & se propediem hinc abiturum esse dixisset, digna mihi deprecanda cessationis illius occasio visa est, quam sine meis ad te litteris elabi non sinerem; & ut superiore tarditatem hac saltem officii mei particulà compensarem. Lusitanorum patrum adventus in hanc urbem, & collegium nostrum, per jucundus nobis omnibus accidit. Mea verò privatim illis opera necessaria non fuit. Nam in professorum ædibus habitant, quamdiu istic morati sunt: & apud nos semel tantum praedio sint excepti. Lucas Holsteinius saepe ad Sirmondum venit. Is & animo, & corpore bellè se habet: & est sanè tuo studio, ac benevolentia dignus. Penes hunc, Athanasii schedae ille sunt, de quibus scribis, & in eorum, ut opinor, editionem intentus est. Nam Athanasii Opera Graecè ac Latine superiore jam anno prodierunt. Vidi & Libanii Tomum alterum publice proscriptum, quem nondum legi. Operis de Doctrina Temporum editio sic nos occupatos habet, ut alia de re ferè nulla hoc tempore cogitemus. Quo mihi vos aquireos oportet esse, si in scribendo tardius vestro voto respondeam. Vale.

EPISTOLA XIV.

Andrea Schotto, Societatis Jesu, Antuerpium.

GO verò & Marianæ opuscula legi diligenter, quae de anno Dominicæ Passionis, deque Arabum annis edidit, neque quicquam in illis admodum inventi, quod non tralatitium sit: in eo verò, quod est de Passione Dominica, etiam falsa multa, & pugnancia reperit, quod pace tanti viri dictum velim. Tibi porrò quantas possum gratias ago, qui me, litterarumque meas novis in dies caritatis officiis tibi demereri studes. Vellem aliquid reponere possem tam proluxa in me benevolentia non indignum. Quod unum in praesentia possum, Deum precor, uti te mea vice remuneretur. Quae ad Sirmondum mandaras, exhausti diligenter: ille jam se plenè de omnibus ad te scripsisse dixit; putareque litteras ad vos suas pervenisse. Itaque nihil hic ea de re significari opus est. Holsteinius, & Grotium dudum non vidi. Opus nostrum de temporum doctrina sum cursum tenet. Quartus jam sub praelo liber est. Scripseram abhinc mensibus aliquot ad Castellarnavium, qui ad me Casaraugustà litteras dederat, unaque & ad Morlanezium: ac Graecum Andreae Cretenis Computum, quod erat ille pollicitus, hortabar ut mitteret. Nihil ad hanc diem responsi illinc habui. S. Maximi Graecum Computum penes me habeo, quod Romae exscribendum curavi. Sed tam multae, tam amplae in eo Tabulae, circuli que sunt, ut vix typis exprimi posse universa confidam. Vale.

EPISTOLA XV.

Andrea Schotto Societatis Jesu, Antuerpian.

TRIDUUM vix intercesserat postquam ego ad te scripseram, cum domi nostrae Lucam nostrum Holsteinum offendi: quem & meo & tuo nomine complexus, quas ad me novissime dederas ostendi, & eis uti cum re ipsa tum litteris ad te suis satisfaceret, & has ipsas ad me mitteret hortatus sum. Cum in se utrumque recepisset, neutrum haecenus quod sciam, praestitit. Nunc Romam, ut audio profecturus est cum Cardinali Spadano olim hac in urbe Rom. Pont. Apocriptario, cujus in familiam, comitatumque ab Antistiodorensis Episcopi convictu, contubernioque transit. Quod illi bene vertat. Nam juveni & erudito, & humanissimum favemus. Spes est illum in aliquam curatorem Vaticanam Bibliothecam partem venire posse. Id si eveniret, non minus tibi quam nobis jucundum erit, ac commodum. Operis nostri de Doctrina temporum editionem tandem superiori mense ad exitum perduximus. Hujus exemplar unum mitto, quod tibi & Heriberto Rosweydo commune esse cupio. M. DC. XXVIII.

EPISTOLA XVI.

Heriberto Rosweydo Societatis Jesu, Antuerpian.

THOMAM Kempisium popularem vestrum; ac solida pietatis magistrum & accepi libens, & quod illustrissimo viro Marillaco offerendum illius exemplum dedisti, curavi ut ad eum in comitatum perferretur: quod tum Sebastianus Cramosius Typographus noster aut ipse proficisci, aut certum hominem allegare statuerat.

Quod si in urbe ille tunc fuisset: tamen pro amplissima quam sustinet dignitate, multis gravissimisque negotiis occupatus est, ad eum nihilominus adissem, coramque manus illud commendassem. Id si erit postea commodum, fortasse faciam. Vendelinianum Opusculum, cujus specimen ad me misisti, non tam doctrinae temporum refert, quam astronomica illius mera, qua minima quaeque momenta subtiliter accuratque persequitur. Nam cuiusquodam fit Solis ab Aequatore declinatio; tanta esse non potest, ut *Solstium* discrimen faciat; quod ego ipse in condendis Tabulis sum expertus. Novas enim Operi nostro de Doctrina temporum intexui, quas Pafinas inscripsi. in quibus certa à nobis Solarium motuum, & epilogismorum inita ratio est longe simplicissima, & quod caput est, omnium quae prodierunt haecenus, exactissima. Quorum omnium fidem innumeris exemplis munivimus. Nam inter alia, Solis ac Lunae defectiones propemodum omnes, quae quidem ab antiquis, & idoneis auctoribus memoria prodita sunt, ex abaco nostro scrupulose delineavimus: in quo diligentia cum difficultate certat. ut praeter hoc uno, Scaligeri conatus omnis, praene ludus fuerit. Nunc Chronologia, quam & typographi, & amicum preces expresserunt ut in calcem operis conferrem, moram afferit editioni nostrae. Arnobii MS. codex, id quod de Rigaltio persape cognovi, ab urbe transferri non potest. Verum ille variantes se lectiones, & quicquid scitu dignum erit, adnotaturum recipit. Quam in rem operam & ipse meam tibi polliceor: si quibus de locis consulendum prius ad me perscribas. Sirmondo, & Machalido salutem abs te dixi, qui vicissim ambo refalutant: hic etiam litteras dedit. Vale.

EPISTOLA XVII.

Heriberto Rosweydo Societatis Jesu, Antuerpian.

VELLEM quod à me tam assidue tamque studiose flagitas, ratione aliqua perficere possem, ut Arnobii codicem ipsum è regia Bibliotheca mitterem. Sed neque per ejus curatores id licet: neque consilii, praesertim hoc tempore videtur, tantillis de rebus principibus viris obstreperere, ne aut illi minus se quam velint,

posse in hac re conficienda sentiant: eoque subirati esse nobis incipiant: aut illi vel tentatum à nobis illud invidis se ac repugnantibus aegre ferant, & alieniore deinde sint à nobis animo: nos ab utrisque nihil praeter offensionem, & invidiam colligamus. De Vendelini opusculo habeo gratiam. Allatus est ad me sub idem tempus Errici Puteani Lovanienensis professoris libellus de Olympiadicis. Quis eum miserit ignoro: in eo vero nova is de ludis conjectura disputatur; sed inanis & ludicra; cui refutanda paginae aliquot, Operis in fine, seposuimus. Hoc vero jam ad exitum propere pervenit. reliquum est enim praeter Indicem nihil, cui ad summum octo dies imputamus. Ita biennium solidum totidem excudendis tonis impensum erit; ac longissimi & molestissimi laboris fructus exiit. Sirmondus tibi salutem dicit, & grande satis volumen, sed idiomaticum scriptum nostrum; Bibliothecae vestrae destinata, è duobus alterum quae partim à Typographo, partim ab auctore nobis oblata sunt. Argumentum operis est de familia Vergicensi, quae in Sequanis hodie principem locum tenet. Id si erit opportunum, negotiarii illi dabimus: cui ad haec litteras accipiendas in perendum condixi. Sin nullus inter illius sarcinas locus est, Sebastiano Cramosio commendabitur. Vale.

EPISTOLA XVIII.

Heriberto Rosweydo Societatis Jesu, Antuerpian.

CUM ad te & Andream Schottum litteras paullo ante dedissem: novas ecce mihi abs te popularis quidam vester attulit, cum Kempisii libello, quem recentibus, & elegantibus typis nuper edidisti: cuiusmodi & alios hic compingendos, ad vosque mittendos Typographus noster accepit. Ego vero cum de tuo constanti erga mestudio, ac voluntate, plurimum gaudeo; tum de munusculo isto gratiam non habeo modo: verum etiam refero. Mitto enim operis de Doctrina temporum nostri Tomos duos, quos tandem superiori mense feliciter absolvimus, & Illustrissimo Cardinali Riccolio dicavimus. Cui cum illos offereremus, peramanter ac benigne nos habuit; sibi que id esse gratissimum officii genus ostendit. Quod sit operis illius institutum; quodve doctrinae genus, ac scientiae polliceatur; cum ipsum per sese loquetur, tum in Prolegomenis utriusque partis, sed prioris maxime declaravimus. quorum acrem diligentemque comprehensionem lectioni librorum nostrorum anteverti cupimus. Scaligerianum de Emendatione Temp. opus Genevae Allobrogum tertio jam recudi certissime cognovi. quod mihi optatissimum accidit. Nam eo vendibiliores erunt nostri, quo huius, quem contra scribimus, paratibiores erunt libri; qui hoc tempore inventi rarissimi sunt. Tamen ut eorum interim desiderium tolerabilis esset, opere in nostro perfecimus, in quo singulis praene capitibus Scaligerianae doctrinae summam brevius, & quam ab ipso factam est planius, ac dilucidius explicamus. Scripsimus & adversus Chronologicas quorundam Dissertationes, sed eorum ferè tacitis nominibus, idque vel sparsim toto in Opere, vel separatim in Lib. nono pag. 58; ubi capitibus aliquot & in calce libri XII, à pag. 266. falsam absurdamque popularis cuiusdam vestri conjecturam refellimus. de quo superioribus litteris ad te scripseram. Id quam ille in partem accepturus sit nescio: exultationis quidem ipsius, ut & Catholicorum ceterorum, contra quos necessario disputamus, sic à nobis habita ratio est, ut veritatis ac fidei aliquantò plus haberetur. De hoc, ut de reliquis quae eodem pertinebunt, certiores nos facies. M. Antonii Cappelli Dissertationem de anno natali, & Passionis Christi, ante biennium hinc ad vos misimus. Hujus in doctrinam capitibus aliquot inquirimus. Hae eo scilicet designavi, ad eaque dignum intendo, ut te ad eorum lectionem impellerem. Vale.

EPISTOLA XIX.

Heriberto Rosweydo Societatis Jesu, Antuerpian.

OLIM ad vos libros illos pervenisse puto, quos tibi curaveram: tum ex Sirmondi litteris certiores te is de rebus esse factum; de quibus ad me postremis tuis scripseras. quas cum Sirmondo legendas dedissem, is se cumulatè omnibus persunsum esse proximè datis ad vos litteris dixit. Quare nihil hic attinet eadem iteratò perscribere. Ad illos porrò quinque libellos, quos novissime postulasti, sextum adique volui, qui est M. Antonii Cappelli Franciscani de coena Christi summa, contra Vecchietum Italum quemdam, qui se Aegyptium ab Aegyptiaca legatione, sic quasi Africanum, aut Asiaticum appellavit. Is Augustae Vindelicorum habitat: ibique vegrandem Chronologiam edidit: ubi multa novè, absurdèque docuit; quae Romani Censoris animadversione notata sunt, & à Capello confutata; brevi libello, quem ad te mittendum curavi. Ego verò & immane illud opus Vecchietti, & hunc alterum Cappelli non legi modo, sed etiam diligenter excussi: & quod meum de utroque, sed de isto potissimum, iudicium esset, tibi aliàs exponam, tum cum scilicet alterutrum legeris.

Opus de Doctrina temporum in dies procedit. Vix est tamen ut infra vertentem abhinc annum possit absolvi. Hac me cura modo revocat, & ultra producere hanc epistolam vetat. Vale.

EPISTOLA XX.

Heriberto Rosweydo Societatis Jesu, Antuerpian.

BINAS à te litteras accepi: priores, v. Cal. Junias; posteriores, vi. Eid. Jul. datas. quamquam istae non tam epistolae, quàm memorialis libelli speciem habebant. Eas mihi veredarius Antuerpiensis vir honestus, ac probus obtulit; unaque florenis centum numeravit, quos tibi ad laborum emptionem seponi, asservarique iussit. Dabo equidem operam, ut in hac re neque fides nostra, neque diligentia requiratur. Sed duo mihi significari clarius velim: alterum, eequid veredario, si ve cursus publici magistro commendandi libri illi sint, quos deinceps curabimus; verò enim ne majoris id impendii futurum sit: an paratibior, & damnosa minus opportunitas identidem quaerenda. Alterum, de genere librorum. Nimis enim est infinitum, quod mihi praescripisti, uti in eos libros insumerem, qui studiorum tuorum intersint. Ac de M. Antonii Cappelli Opusculo statim Cramosium nostrum admonui. Spero me illud veredario vestro daturum: sin minus, certè propediem mittetur. De altero, qui est de Viis militibus Romanorum, ex eodem nostro Typographo quaeram; cui in hodiernum condixi. Notitiam Episcopatum Galliae à Roberto editam puto jam te habere. Salmastii in Solinum, si ve potius in Plinium, immanis & odiosus commentarius in dies expectatur. Simul atque prodierit, recè ad vos illicò. Julianum Augulum praelo subjecimus. Jam plagulae duae vel tres expressae sunt. Menses aliquot hic nobis labor extundet. Libri nostri de Doctrina temporum passim hic leguntur. Et apparet quosdam valde esse commotos: quorum praene quotidianas in nos coitiones fervere didicimus. Tum ab Germania, vel vicinis vestris, hoc est è nidulo quondam *avrayois* nostri, nescio quid minarum. Contra haec animum obfirmabimus.

De Vendelino, si is tibi familiaris est, quaedam *πρυμνα* de Solis, Lunaeque diametris sciscitari pervelim. sed non est satis otii modo. Sirmondus noster tibi, ut & Andrea Schotto salutem dicit: quam & ipsi meo quoque nomine impertias velim, meque in sacrificiis & precibus commendatum habeas. Lutetiae Parisiorum XIII. Cal. Aug. MDCXXVII.

EPISTOLA XXI.

Heriberto Rosweydo Societatis Jesu, Antuerpian.

COMMODUM asceticam hebdomadem, inibam; cum ad nos postremae tuae litterae pervenerunt. Itaque serius datae mihi sunt; neque tabellarium vidi. Quod autem Cappelli Diatribam nondum miserim, fecit magnitudo pretii. Libellus est trium & viginti foliorum à Claudio Morello τὸ μακροῦ editus. Hujus vidua tam cari illum aestimat, non minoris ut florenis tribus emere liceat. Quae res & mihi, & Cramosio nostro merito stomachum movet: mihi verò praesertim; qui, quanti liber ille sit, melius intelligo. Est enim imperitiae, inscitiaeque plenissimus. Quare tanti non est, ut in eum sumptus iste faciendus sit. Sed si tu nihilominus vel iniqua illa conditione curari tibi velis; dabo operam ut propediem accipias. ac fortasse ne mandatum quidem tuum expectabo: sed Cramosio negotium hoc ipso die committam. De Capello plenius habes in utroque Tomo de Doctrina Temporum. Penes Sirmondum nostrum Theodoretus scripta sunt, à μακροῦ Frontone nostro praelo delineata; ut & Cyrilli; & Nicephori historia. quae suo tempore in lucem exibunt. De Joanne Elemosynario quae scripsi, vera puto. Nam à nobis est annorum ratio, quam ad Nicephori Breviarium ante annos XIV, & in Tomo 2 de Doct. Temp. disputamus. Quae tu ad Vitas Patrum super hac quaestione scripsisti, nondum legi: neque verò otium adhuc est. Nam ad iter accingor, quod in mensum unum Rothomagum, & in alia quadam oppida vestro citeriora suscepi. Ubi domum rediero; tum & hoc tibi, & cetera mandata curabimus. Vale.

EPISTOLA XXII.

Heriberto Rosweydo Societatis Jesu, Antuerpian.

LONGINQA demum ex protectione salvi & incolumes domum revertimus. Hoc eo seire tua interfuit, ut si quid curatum istic de more velles, ad nos scriberes. De Cappelli Diatriba olim quid velis expecto. Nam iniquum illius pretium à Typographo exigi vel Cramosius noster exultabat. cui tamen ut quoquo aere partum ad te mitteret, discedens mandaveram. Sed ab eo neglectam rem video. qua integra, rursus quid tibi placeat inquiri. Absoluta nuper est Eusebianae *αἰωνογράμης*, & *ζωνδωγῆς*, editio Graecolatina. Hujus interpres est antiquus, ac seorsim jam editus. *αἰωνογράμης* verò Franciscus Vigerus Rhetoricam hoc in Gymnasio jam dudum professus, de non optima Graeca Latine fecit elegantem. Utrumque, si permiseris, opus pecunia illa, quam petes me habeo, comparabitur; solutum autem, ac compactum malis, id etiam praescribes. Litteras à Catho nostro, Ruremundenis Rectore, absente me huc perlatas reperi. Scribo igitur ad illum; & ut nostras Ruremundam curare velis, id abs te postulo. Salutatus à Sirmondo, vicissim ut Schottum, Vendelinum, & Guevartium meo nomine compelles etiam atque etiam rogo. Lutetiae Parisiorum prid. Eid. Oct. MDCXXVII.

EPISTOLA XXIII.

Heriberto Rosweydo Societatis Jesu, Antuerpian.

QUO prioribus tuis litteris respondi nihil reddiderim, non vel officii negligentia, vel oblivione mea factum: sed negotioris illius, qui litteras ad nos tuas pertulit, singulari quadam incogitantia dicam, an incuria. qui cum me absente domum illas attulisset, neque visus est usquam, & inscius omnibus nobis insalutatisque discessit. Huic igitur uni, non mihi, non Typographis nostris succedere debes. Nam nisi iste nos vana spe ludificasset, olim libros illos, quos mitti tibi postulareras, pervenhendos intrassem. Jam enim paratos illos habemus, quos quidem nancisci hac in urbe potuimus. Sunt autem hi Bibliothecae PP. Graecorum To-

mi duo, quos tuo nomine à Typographis expressimus...

EPISTOLA XXIV.

Heriberto Rosweydo Societatis Jesu, Antuerpiani.

INDICULUM librorum aliquot, quem ad me miser...

De Vitis PP. quas tandem accepimus, habeo gratiam...

EPISTOLA XXV.

Heriberto Rosweydo Societatis Jesu, Antuerpiani.

ACCEPI centenos illos florenos à veredorum magistro...

Ceterum quid de ejus filio statutum à nobis esset...

EPISTOLA XXVI.

Heriberto Rosweydo Societatis Jesu, Antuerpiani.

MULTUM ad immutandam indolem valent Medicamentis vestri...

ac velut classico nos ad arma pugnamque provocat...

Ac vellem equidem minore, quam est, approbatione...

Tύχη μίση δὲ καὶ θεὸς ἐχθροῦται...

Tu hac in re, quia me consilio non potes, precibus...

EPISTOLA XXVII.

Francisco Vavaffori Societatis Jesu, Alenconi.

ITA multis eodem tempore variorum hominum litteris...

tua tractanda, & ut rogabas, castiganda me totum contuli...

Quod ea spectat de quibus seiscitaris, sic habeto...

De fortibus longum est omnia persequi. Hac percontationi...

EPISTOLA XXVIII.

Francisco Vavaffori Societatis Jesu, Alenconi.

MIRUM te conjectorem Arabii tui, fecerunt (sic enim Alenconis à Ptolemæo nominari quibusdam placet...

mè; quos, qui initio magna in libròrum copia sunt, ferè fastidire solent...

EPISTOLA XXIX.

Francisco Vavaffori Societatis Jesu, Alenconium.

QUOD de mea vel admiratione, vel etiam stoma-cho conjicere te scribis...

EPISTOLA XXX.

Francisco Vavaffori Societatis Jesu, Avaticum Biturigum.

NON pessimi debitoris est, cunctari in solvendo, dum se alieno arte...

tor solam, sed etiam obsecro. Non te pluribus admo- nebo, hominem non doctrinis tantum, sed usu quoque similibus rerum eruditum; quo ex utroque genere petere medicamenta potes morborum istorum animi, & cum tu te ipse tibi, tum aliis opem, ac praesidium afferre. Me, quoniam id nosse tua interesse putasti, scito commoda satis uti valetudine: nisi commotiuiculis interdum afficerer, quas in morbi reliquis numero: ut & illud ipsum, de quo nominatim percontatus es, quod oedipus esse persevero. Scis unde hoc nomen adeptus iste sit. Melius tamen, quam dudum, ac longius adeoque in villam usque ambulo. Ceterum Romanae professionis mentio jam refrixit; immo est extincta penitus, nihil certe novi haecenus audio. Ea spe confirmatus totum me ad pristina studia & instituta retuli; ex quibus aliquid, ut spero, propediem exister: quod ut maturius, & pro eo, atque tua, ceterorumque spes est, fructu, & emolumento majore accidat, tuis me precibus, ac sacrificiis etiam atque etiam commendo; nec non Patrum, fratrumque, qui illic sunt, quibus a me salutem dicas velim. Vale, & pro me communem Dominum deprecare. Lutetiae Parisiorum v. Eid. Decemb. CXXXIII.

Jam istas R. P. Rectori obsignandas dederam, cum postredie, alterz mihi a te reddite sunt una cum meis, ut si quid ad recentiores tuas novi esset quod scriberem, id possem addere. Mihi vero nihil admodum occurrit, quod ad superiores adjiciam, nisi illud de poemate nostro, quod nudius tertius pronuntiatum est in frequentissimo coetu, ab Philosophia quodam auditore, juvene decto; qui tam apte, ac decenter, tantaque cum dignitate dixit, nihil ut ne tu quidem desiderare ipse posses, quem in talibus morosi ac delicati fastidii esse vidi. Itaque non malis fortasse verbis multum gratiaz, ac commendationis attulit. Sed haec omnia, uti & cetera quae sub sole fiunt, ad Ecclesiasticis *κατανα δόξαν* exigenda sunt. Cujus libri duo jam capita priora, aliud agens, uti moris esse mei scis, & ut in Psalmis factitati, Graecis verbis reddidi. Horum tibi capitum primum descripsi: tum ut contemnendis rebus infimis omnibus asseruissas: tum ut gustum Graecitatis, quem tibi asperferam, non penitus obtundas. Atque hoc habebis mantissa, vel fenotis loco, ne de unis meis ad tuas binas conqueri possis. Volo autem, si quem illic habes *μαθητήν σου*, & Graecorum elegantiarum non omnino rudem, cum eo specimen istud communices: etiamne illi, qui meum nomen in libris suis traduxit? Etiam; si ita opus esse judicabis, & operapretium in eo esse videbitur. Vale iterum, & a N. salutatus, & hunc etiam postremum, praeter supra memoratos alios, salvere a me jubeto.

EPISTOLA XXXI.

Francisco Vavasori Societatis Jesu, Avaricum Biturigum.

QUAM non vacuo sim ab negotiis animo, ex eo potes existimare, quod semel iterumque laceffitus, nihil tibi responderim. Ita sese res habet, mi Pater, ut nec unquam majore ad quemquam voluntate scripserim, quam ad te cupiebam: neque ad id agendum, vel recordationis, vel idonei spatii satis habuerim. Non enim clam te esse arbitror, ex quo hinc Avaricum avolasti, quam variis, quamque negotiosis rebus occupatum id mihi tempus omne praeterierit, quod ne nunc quidem liberius, ac solutius est, quam antea. Sed fremitum tuum ultra sustinere non poteram: praesertim iis lectis verbis, qui torporis in me si quid esset, excutere possent, & afflatu illo calefacere, quo sunt a te scripti. Et habent ad nos excitandos argumentum non inutile, quod aquae, frigidis scilicet elementis, minimèque actuosi, conversionem in vinum exhibent, rem utique vegetam, & ad languorem discutendum aptissimam. Hinc ideo cepi initium respondendi tibi, quod ea me res in postremis tuis singulariter delectavit. Sed heus tu! nonne carminum, ac ludicrorum satis est? Quousque verò? At contineo me. Video enim te hoc idem objicere posse mihi: quem tu scire debes hoc anno Graeca, Latinaque carmina bene multa fecisse. Graecè primum Ecclesiasticae metaphrasim integram, imparibus, ut institueram, verbis: Latine

autem poemata duo, alterum de expiata in Templo; alterum de salutata ab Angelo Virgine; quae duo post paullo, in utroque sodalitate pronuntiabuntur. Tertium in manibus habeo de concepta eadem Dei matre; cujus centenos jam versus absolvi. Verum ne tibi nimium exemplo nostro placeas: scis profecto, quantum a tua sejuncta causa mea sit. Primum tu ceteroqui piger es, & cum animo, industriaeque plus me valeas; laboris improbitate vinceres. Tum tu in minuta ista totum immergere te soles, & *πρόσβαλον* facis *εργον*. Adeo res te prima quaeque capit, & affixum tenet. Ego nullam in istis ferri temporis particulam colloco: sed cundo, redeundo, ambulando per urbem, per ades, inter eandem, noctu, reliquis subscevis horarum momentis, raptim illa meditari soleo. Hoc si ita facis, nihil ultra verborum addo, quin tu facere pergas: sed si aliter, ac more illo tuo quem vidi, agis istud; valde reprehendum puto. Habes in quo ingenium tuum, & otium fructuosius ponas, occupationem te dignam, & elegantem; Scripturae interpretandae professionem: quae tibi, si sapias, delicias istas excutiet, ac mollitiem: & verò morbum, quem *αίτησι* Graeci, malaciam Latini Graeco etiam vocabulo nominant. Quin tu, mihi si credis, Hebraicis litteris studii aliquid imperties: ut ad enarrandas litteras sacras eo fidentior, ac paratior accedas. Profecto operapretium feceris, si ista cures, dum mens, & aetas, & tempus sinunt. Ego me, si qua re possum (possum autem in Hebraeis aliqua) totum ut debeo, tibi offero. Vale, mi Pater, ac mei diligenter fac meminere in precibus, ac sacrificiis tuis. Salutem a me dicas velim R. P. Rectori, quem spes est hic propediem fore: tum NN. ac ceteris, quos mihi notos scies. Lutetiae Parisiorum anno ineunte CXXXIII, quem tibi ac reliquis omnibus auspiciatum precor, Januarii 3.

EPISTOLA XXXII.

Francisco Vavasori Societatis Jesu, Avaricum Biturigum.

NOVI deinceps de lentitudine mea, vel litterarum raritate conqueri, vides *ἐπιπέλους* epistolas: quarum postremam incomitatum ne dimitterem; adjeci ad eam librum Graecorum carminum nuperime excusum, quem summo Pontifici dicavi. Et interim dum Latina properantur, quibus ille *ἐκ προθέσεως* michi annexendus est; secrevi aliquot exemplaria, quae in amicos distribuere. Heri Nicolaum Borbonium adii, ut illi offerrem unum. Is multa de te cum amanter, tum honorifice. Hebraea sunt in illo Graeco volumine quadam: quae si non intelligis, habes ad manum qui ea tibi explicet, N. Hunc enim illius linguae bene peritum oportet esse, qui Romae publice est delectus, ut coram legatis, aut principibus viris inter praedandum Hebraicè declamaret. Eo igitur utaris interprete censo. Aut si minimè is placet: at tu te ipse per te quantum potes enitere, potes enim, *ἄνευ ἑτέρου*, hoc est, *ἰάν τ' ὁμογενεῖα ἢ ἐκπαίδευσις*. *Ἐγγὺς Ἐβραίων μόνον, ὃ γὰρ εἶ, ἀγγέλο μόνως*. Brevitatis non me vanum monitorem fuisse: nec te operae pigebit. Vale mi Pater, meique in tuis sacrificiis, & precibus memento. Salvere a me jubebis R. P. Rectorem, ἃ τ' *αἰσθησθήσθω* N. IV. Cal. Sept. CXXXIII.

EPISTOLA XXXIII.

Francisco Vavasori Societatis Jesu, Avaricum Biturigum.

SI hoc praesertim tempore, in quo tanta cuique est Sexpediendae rei suae difficultas, tam acres, & assidui sint ad exigenda nomina creditores, quam tu es in appellando me: cum multi alioqui sint, plures adhuc essent, qui non bonis rebus suis citati, foro cederent. Quid enim? Ignorare scilicet hoc potes, ego quibus distinctus sim, irretitusque negotiis, ac penè obrutus? cum eodem tempore plura in manibus habeam, quae de integro scribenda, quae in lucem edenda jam scripta. Et tu tamen, quasi otiosus hic sedeam, urges, instas, objurgas, si minùs ad tempus respondeam: cum eo vit bonus contentus esse debeat, si id aliquando quod debeo, quamlibet serò persolvam. In quo quam sis ini-

quus

quus animadvertes, si fabellam legeris, quam elegantiarum pater Horatius in epistola secunda libri secundi, Atticis, immo Romanis vengribus condiit. Cujus, quia est paullo longior, clausulam hic tibi solam exhibebo.

Prudens emisti vitiosum, dicta tibi est lex. Insequeris tamen hunc, & lite moraris iniqua. Dixi me pigrum proficiscenti tibi: dixi Talibus officiis propè mancum: ne mea servus Jurgares ad te quod epistola nulla veniret. Quid tum profeci, mecum facientia jura Si tamen attemas?

Hac ego sum praefatus, ut te adducerem, si possem, ab hac inclementia: & ut per te mihi interdum neglegenti esse liceat. Sed ut tandem ferit tecum (ista enim jocando sollicit adpersi) vehementer gaudeo, quod respuiti denique: teque ab deliciis istis, hoc est, poëticiis studiis, sic quasi puerilibus avocamentis, ad solidam, & virilium transdidisti. Nam quod meum mihi factum objicis: primum quae te exemplo meo, periculo autem tuo, peccare cogit? Deinde quae fit mea causa, paullulum attenderes, & quam dissimilis tua: de qua jam postremis in meis habuisti. Hac dixi, ut te ab imitandis me dehortarer: quem scire debes adeo non poenitere pristini delicti, ut in eo adhuc perseverem. Et enim non solum Ecclesiasticis Graecis elegiacis verti, quem penè jam expeditum a praelo nunc habeo, & brevi ad te mittam, Graeco instructum comitatu ceterorum versuum quos palantes in unum contuli: & cum epistola nova Graeca, Urbano inscripti Pontifici summo. Sed Threnos insuper Jeremie Iambicis trimetris Graecis nuper institui reddere. At ista quemadmodum tractem, quo tempore, quam non importunè, jam, ut dixi, postremis tibi litteris meis exposui. Nunc quod ad consultationem tuam attinet; & Scripturae sacrae studium ab Hebraeis ordiare censo. Id enim apprimè ad eam rem est usui; adeo ut qui illius linguae sit rudis, rudem eundem esse consequens sit sacrarum litterarum: quantumvis multis, ac bene amplis commentariis armatus ad id sese conferat. Hoc èd magis consilium probo, quod studium istud non te totum sibi vendicabit, sed cum eo conjunges & alia, quae itidem necessaria videri tibi significasti; Conciliorum; ac veterum Patrum, & antiquitatis omnis Ecclesiasticae scientiam. Patres quo ordine perolvias, non multum ad summam referet. Potes tamen ab antiquioribus legendis initium facere. Historiam Ecclesiasticam ab Annalibus Baronianis repetere. In qua etsi nonnulla peccata sunt: tamen ubi te usu corroboraveris, paulatim ea recognoscas, & corriges. Nam Conciliorum legendorum ordo se ipse prodit: cum a primis quibusque progressus ad posteriora faciendus sit. Habes ad omnia, pauca illa quidem: sed si is uteris, plus satis. Sin minus adhibes; quid his plura requiras, causa nihil video. De Patre τὸ ἴδιον *φ. αἰσθησθήσθω* ita planè est, ut scribis: & ego coram, atque usu ipso, aspectuque didici. Quidvis potius tolerandum, quam haec injuria capiendae fuit. Sed multa improvisò, ac praeter opinionem incidunt: quae magis facta damnamus; quam ne evenirent providere potuimus. *Μετὰ τὴν πόδιν ἡσυχία*. Theologia nostra eursum suum tenet. Jam enim tomus unus absolutus est; alter multum processit. Tuis mihi precibus opus est, cum maximè, ut quod institui, feliciter ad exitum perducam. Eas igitur implorare pergo: uti mei in sacrificiis tuis meminere. R. P. Rectori salutem a me plurimam dicito. simul illud; Luculli hospites, quibus quotannis operam dedimus, hoc primum anno cessasse. Augusti 4. 1641.

EPISTOLA XXXIV.

Francisco Vavasori Societatis Jesu, Avaricum Biturigum.

CUM plurimè in te sint artes eleganti ingenio dignae, nonndum tu tamen conjector esse didicisti. Vel illa tua nupera divinatio de Luculli hospitibus, quam non *ὁμογενεῖα* & ad rem fuit! Tu Gallinas nescio quas somnias. Sed videlis, quid apud Plinium libro 15, ca-

Part III.

pite 25, Lucullus in Italia inveniit, adipulante Tertulliano Apologetici capite undecimo. Hos ubi legeris, tum is facile, qui cum communicandum dixeram, anigma tibi illud explicabit. Puto ad te perlatum fuisse volumen Latinorum nostrorum carminum, quocum & Graecorum sub eodem styro compaetum est alterum. etsi hoc separatim jam ad te miseram. Sed *δὲ τὸ καλὸν*, ut me apud te ipse praedicem. Habebis hic multa nova cum veteribus: & inter illa, Panegyricos B. Virginis, qui singillatim in sodalitiis exhedra dicti sunt. Sed quod incuriosius emendationi illius libri praefui, radio fractus tot correcturarum, quaedam sanè fœda interim irrepserunt. Velut p. 140. ver. 12. leg. *Purpurea lavit amne*. P. 206, ver. 15. *Triste gubernaculum*. P. 228. ver. 4. *Hunc & forte olim superet*. P. 236. *Erebrique poscor*. Tu & haec in tuo codice, & per te ali in suis emendabunt. Te enim auctore, ac fideiustore distrahi illic mercem oportet istam. Ac me quoque, si quid praeter illa inter legendum occurrerit, certiore facies. Putabis callidè id a me tibi oneris imponi, ut te ad legendum adigam: nec te fallat suspicio. Velint ita quidem legas, ut & calliges, ac censoria notà configas, si quid ad *κατανα δόξαν* tuum acumen offenderit. Sed hoc serò te nolim agere: verum quibus & vacabis horis, & per metamorphoses tuas licebit: quias jam praelo destinatas audiebam: & haecenus quidem. Nam nihil harum vidi, praeter specimen illud, quod dudum ad me misisti, quod nihil lubentius omnibus Graecis, ac Musis expressum videbatur. Sed an non abundè versuum est: nec jam hoc commentandi genere satur es; quod ab aliis te gravioribus, magis necessariis avocet; quidquid ex adverso causeret. Verumtamen fructu tuo, si ita lubet, neque meum tibi consilium placet, quod de Hebraeis ex animo complectendis, penitusque combibendis salubre dederam. Et tamen is vit es, qui tibi frigidè, ac malignè consuli a me querere; nihilque praeter vulgaria & quotidiana praercepta suggeri: cum tu recondita, & usu illo digna, quem diuturnum in illis habemus, expectaveris. Atqui situ communia ista; & tamen, ut fateri debes, necessaria fastidias, ac neglectim obis, quid arcessitis illis, & exquisitioribus opus est? Aggredere modò: quod jam fortasse fecisti; ac circa minuta illa, & *συναδὴν* animum exerce. Nam ad majora contententi prima quaeque arripienda sunt, & in promptu posita. Et errant qui compendii spe, transcurris mediis, ad extrema properant. Opus nostrum plenis jam passibus procedit in dies: cujus editionem praesens, uti spero, annus absolvet. Interim toto illo in procurando negotio opinione majorem capio laborem. cujus molestiam levat expectatus operae fructus. Quem tibi aliorumque, qui istic sunt, nostrorum precibus Deo acceptum, & Ecclesiae fructuosum confido fore. Velim ex omnibus nominatim a me salutes R. P. Rectorem, qui tibi anigmatis oedipus erit: collegas tuos, & si quos nosti memores mei. Quibus omnibus vicissim falla, & secunda quaeque comprecor. Vale. Febr. 21. 1642.

EPISTOLA XXXV.

Francisco Vavasori Societatis Jesu, Avaricum Biturigum.

PER illud mirum mihi accidit, quod ex postremis tuis litteris didici, nondum ad te perlata esse Latina mea poemata; quae tanto antè miseram. Cujus morae causas inquirenti mihi responsum ab illo est, qui hoc in se receperat, fratre Sebastiani Cramosii; se tabellaris, ac veredariis librum illum noluisse dare, ne vetera carius constaret. Quod igitur in rem tuam, tuique collegii factum est, id bonam in partem debes accipere; neque durius interpretari, *καὶ ἀνάγον ἀπὸ τῶν δεινῶν*. De gripho nostro *ἀινυγματῶδες* sunt quae scribis. Et tamen succenses, quod te nondum intelligere dixi: quod profecto verum est. Nam ad Gallinas nescio quas redis, de quibus ne cogitarem quidem. Vidi ante aliquot dies Borbonium virum optimum, & apprimè tui studiosum. Is se anno superiore longam epistolam aetabat ad te misisse: nec quid ea factum sit, haecenus scisse; suspicari autem, tibi non esse redditar, quod nihil responsi dederis. Idem ut suo te nomine salutarem, X x multum